

Phæn. XIII.

das, si quæ restarent, asperitates, admiscuissemus, ac postmodum ad lævigandum eas amplius alium ex tripoli pulverem; deprehendimus, eo pacto non solum lateraliter ipsas tam facile non emoveri, sed verticaliter etiam (ut ita loquar) arctius cohærere, adeò ut jam 36. pondo nullo negotio sustentent, pluribus imposterum gestandis pares procul dubio futuræ, si attritus frequentior accesserit & perfectior polities.

X. Enimverò nec hisce poteramus esse contenti orbibus, quandoquidem eorum efficacia nihil est, collata ad eam, quæ in Gallorum Ephem. IX. ad Ann. 1679. tribuitur marmoreis à DN. RYCKIO Leidsium Professore paratis, qui cum diam. haberent non nisi $2\frac{1}{4}$. dig. à pondere 580. librarum non potuerunt separari, ab alio 590. demum semoti. Fecimus igitur nobis etiam parari duo hemisphæria, aut rectius duo hemisphæroidea, ejus formæ quæ Num. 3. spectanda exhibetur. Ea, cum his ipsis diebus à lapicidarum virium, siquidem perfectiorem nata fuerint politiem; quia 4. digg. habent diametrum.

Phæn. XIV.

XI. Restat, ut duorum adhuc experimentorum mentionem faciamus ab *Henrico Moro* nobis suggestorum, quibus ipse caulam obturaculi vel emboli in valvula Boyliana suspensi à nobis allatam Tentam. IV. Conclus. VI. convelli & expugnari penitus persuasus est. Primum hoc est: Remoto filo *e d*, hinc impedimento futurum, obturaculum seu embolum *b* forinfecus intra valvulam detentum aquis motu solito aliquousque submersimus, ut jam, nemine amplius tenente, ab ipsis aquis valvulæ intrusum suspenderetur: mox bacillum ejus spissitudinis quæ cavitatem tubi *e d* ferè expleret infernè gossipio obvolutum oleoque illitum per *e* desuper immisimus, ut exactè jam obturaret memoratam cavitatem, nec introitus externo, nec exitus interno aëri amplius